

339 nemus, & hortamur in Domino, & in vestrorum injungimus remissionem peccatorum, quatenus de bonis vobis a Deo collatis fratribus dicti hospitalis latoribus presentium, quum ad vos venerint pro eleemosinis aquirendis, pias eleemosinas, & grata charitatis subsidia erogetis, ut per hæc, & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis ad æterna gaudia pervenire valeatis. Nos etiam de omnipotenti Dei misericordia, & Beatæ Mariæ Virginis ejus matris, omnibus, & singulis vere pœnitentibus, & confessis, qui dicto hospitali, & fratribus ipsius manum porrexerint adjutricem quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum testimonio presentes fieri fecimus nostro sigillo munitas post annum minime valituras. Datum in castro nostro Bestagni die XVIII. augusti, anno Domini MCCCLXV., indictione III.

*Literæ commendatitiæ pro aliquibus Judæis ad fidem ingenti quodam miraculo conversis.*

MCCCLXV.

322 Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes Universis, & singulis Abbatibus, Prioribus, Ecclesiarum Rectoribus, & Ministris, seu earum loca tenentibus in Civitate, & Diœcesi nostra constitutis, ad quos presentes nostræ literæ pervenerint salutem in Domino sempiternam. Notificamus vobis ad nostram notitiam pervenisse, quod Magister Abraham olim Judæorum Cappellanus in lege Rabbinica cum duobus aliis Judæis transibat per quamdam Ecclesiam, & viderunt dicti Judæi quemdam Presbiterum portantem corpus Dei in manu sua, & unus ex dictis Judæis dixit aliis associatis: quam fidem isti Christiani adorant, qui omnes flectunt genua, & faciunt reverentiam uni hostiæ panis, & dicunt, quod est Corpus Domini Nostri Jesu Christi; & dictus Magister Abraham cum aliis Judæis ivit, & recessit ad Sinagogam, & ibi consilium suum fecerunt, quod volebant probare, si illud erat Corpus Domini Nostri Jesu Christi. Dictus Magister Abraham ivit cum duobus aliis Judæis ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Valentia, & ibi unum invenerunt scolarem in una die veniente Sabbato, & dixerunt dicto scolari, da nobis unam hostiam, quæ sit consecrata, & Diabolo instigante dictus scholaris eisdem dictam hostiam consecratam dedit, & dicti Judæi portaverunt dictam hostiam in Sinagoga sua in die Sabbati, & eorum festo Sabbato Magister Abraham dixit: iste est Deus, in quo confidunt Christiani. Dictus Magister Abraham cepit unum cultellum, & dixit si tu es Christus, defendas te. Dictus Magister extraxit dictum cultellum, & rumpit dictam hostiam in tribus partibus, & voluntas Dei fuit talis, quod de qualibet parte sanguis exibat, & dicti Judæi quum illud viderunt, projecerunt dictam hostiam in ignem, & viderunt, quod de dicto igne exivit una columba alba sicut nix, & per unum foramen dictæ Sinagogæ exivit dicta columba, & tunc dictus Magister Abraham videns ista signa coram omni populo, visum, & loquelam amisit, & ad terram prostratus quasi mortuus cecidit. Ex quibus totus populus stupefactus stetit. Demum Exter

uxor dicti Abraham vovit Jesu Nazareno, quod si dictus Abraham visum, & loquelam recuperaret, quod in die crastina ipsa cum duabus filiabus, & tribus filiis suis faceret baptizari, & illico facto dicto voto Spiritus sancti virtute dictus Abraham visum, & loquelam recuperavit, & in crastina die dictus Abraham, ejus uxor cum quinque liberis suis, & ad eorum exempla cognita vigintiquinque Judæi tam mares, quam fœminæ se fecerunt baptizari, & omnia bona sua mundana pro fide Catholica reliquerunt, & ob reverentiam Passionis Domini omnes dicti conversi crucem ceperunt, & ultra mare ad sanctum sepulcrum ire promiserunt, nec non ad alias sanctas peregrinationes, quas dictus Salvator una cum suis discipulis visitavit, prout in literis plurimorum R. R. P. P. Dominorum Archiepiscoporum, & Episcoporum vidimus contineri. Unde cum ipsi renati indigeant sanctæ fidei instructione, & non habeant unde vivant, nec complere valeant vota sua, nisi a Christifidelibus eleemosinis adjuventur, ideo universitatem vestram monemus in Domino, & hortamur, quatenus cum dicti conversi, ac eorum nuncii ad vos, & ecclesias vestras accesserint cum presentibus literis, eos benigne, & charitative recipiatis sine contradictione quacumque, & indulgentias, quas vobis ostenderint, fideliter exponatis, vel per ipsos exponi promittatis. Et si in aliquo loco ubi sint Judæi cum ipsis disputare voluerint, & induxerint Judæos ad sanctam fidem Catholicam in plateis, vel in aliquibus locis aliis, vos cum ipsis inducendo dictos conversos, & verba salutifera pronunciando principaliter interesse velitis. In præmissis taliter vos habentes, quod ob vestri defectum dicti renati, sive conversi a Christi fide vera, & ejus operibus non possint, nec valeant deviare, ut per hæc, & alia bona, quæ vos, & ipsi inspirante Domino feceritis ad æterna gaudia possitis feliciter pervenire. Nos etiam de omnipotentis Dei misericordia, & B. M. V., ac B. B. Petri, & Pauli Apostolorum meritis confidentes omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui eisdem manum porrexerint adjutricem 40. dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum testimonium presentes fieri jussimus, & sigillo nostro muniri. Datum in castro nostro Bestagni die IV. septembris MCCCLXV.

*Ordinatio Girardini de Guaschis de Bergolio Aquensis Diœcesis.*

MCCCLXV.

323

Noverint universi, & singuli presentes nostras literas inspecturi, quod nos Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes Girardino nato Antonii de Guaschis de Bergolio nostræ Aquensis Diœcesis ætatis idoneæ litterato, & de legitimo matrimonio procreato cupienti adscribi militiæ clericali primam contulimus capitis clericalem tonsuram, & eum in clericum ordinavimus, & titulavimus ad titulum sui patrimonii secundum consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & stylum antiquum consuetum. In quorum testimonium presentes fieri jussimus nostro sigillo munitas. Actum in castro